DOCTORIS D. 20

MICHAELIS MOEZ DE YTVRBIDE

I. C. COMPLVTENSIS.

EXTEMPORANEA

REPETITIO

AD TEXT. IN CAP. SI

EPISCOPVS 3. DE SVPPLENDA negligentia Prælatorum in 6.

HABITA IN COMPLVTENSI ACADEMIA die 30. Aprilis. Anno 1646. intra terminum 24. horarum in petitione Cathedræ eiusdem libri Sexti Decretalium.

AD EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM D. D. Iñigum Lopez de Mendoza, Marchionem de Mondejar, & Valfernioso, Comitem de Tendilla, Dominum Prouintiæ de Almoguera, &c.

CON LICENCIA DEL ORDINARIO,

En Alcala, Por Maria Fernandez. Año de 1646.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado D. Alonſo Diez de Chaues, Canonigo de la ſanta Igleſia de Toledo Primada de las Eſpañas, y Vicario General en la Audiencia y Corte Arçobiſpal deſta Villa de Alcala, y Arçobiſpado de Toledo, &c. Por la preſente damos licencia, y facultad al Dotor D. Miguel Moez de Yturbide, Abogado deſta Villa, para que pueda imprimir, y imprima la repeticion *Textus in capite ſi Epiſcopus 3. de ſupplenda negligentia Pralatorum libro ſexto*, hecha por el dicho Dotor D. Miguel Moez. Atento eſta viſta, y examinada, y no ay coſa que tildar, ni enmendar. Dada en Alcala en dos de Mayo de mil y ſeiſcientos y quarenta y ſeis años.

El Licenciado D. Alonſo Diez de Chaues.

Por ſu mandado.
Ioſeph Lopez Mogro.

EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI D. D. INIGO LOPEZ DE Mendoza Marchioni de Mondejar & Valfermoſo, Comiti de Tendilla, Domino Prouinciæ de Almoguera, &c.

DONVM *exiguum, breues pagellas, parua munera* (Excellentiſsimè Princeps) *ſi verecundiæ eſt munus ſuus pudor.* Cum quodam prologo pudoris, vultu honeſtè demiſus, erubuit calamus, non eloquentiam prius quam verecundiam dedit. *Sed quia tuus labor eſt in te reflectit ſolaris, & receptus radius quoddam lucis echo germinatur, nam quod creſcit de tuo creſcit tibi, adpoſitè Plinius,* & cum te filij ab infantia Parentem publicum munere educationis experirentur, creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi, alimentisque tuis ad ſtipendia tua peruenerint. *Quis munera referat quæ in me maioreſque meos contuſti? Timet vox, Quis gratulari valeat? deſperat animus. Ergo parua hæc, munificientiam tuam appellent, quæ munera tua tanto digna Principe prodet, his exiguis veniam indulget. Vale Princeps Max, &c. Compluti die 6. Maij 1646.*

Sidonius epiſt. 6.

Ad ſuum Traianū.

Excell. tuæ addictiſ.

Dr. D. Michael Moez de Yturbide.

CENSVRA

LICENCIATI D. BERNARDI DE Yturrizarra Decretorum Cathedræ apud Complutenses dignissimi antecessoris.

EX delegatione Domini Licentiati D. Ildephonsi Diaz & Chaues, qui in alma Toletana Ecclesia, à Pontificia primum tenente locum, dignissime præbenda, & Canonicatu asociatus est, nimia prudentia, subtilitate ingenij, & literarum scientia Complutensem generalem Vicariam gubernat, Archiepiscopatu vacante, attente, & magna alacritate legi, & iterum nimio gaudio per legi celebrem viginti quatuor horarum *repetitionem textus in capite si Episcopus 3. de supplenda negligentia Prælatorum libro sexto, Domini Doctoris D. Michaelis Moez de Yturbide,* qui asiduo labore tradit iuris prudentiam chartis, & sine studio ingenium, & nomen auget, & passim, nulla inter medium die, fecunda crescunt pignora mentis, & Phœbus iuris splendidus adest orbi, ac primas studij coronas tentar abire; tum patrocinium præbendo, cum libris, oreq; ac manu iustitiæ aperiendo viam, elementa tyroni, miseris auxilium, litibus iura patent. Scriptor, & aduocatus es (ô Fœlix Michael) nullo caligine offensus difficiles nodos decadum disoluens succinte, & varia legum iuris enigmata lustrans, ac iuris Pontificij decreta mira eruditione instituens, præcipue tamen Sexti decretalium libri commentaria recurrens, & tandem Magisterio singulari, ingenij acumine, ac dexteritate mentē Bonifacij Octaui, in isto capite, nitida oratione verbisque politis coruscas. Ergo trade typo, officio ne fraudes tempora tanto, cum nihil inueni moribus, aut religioni contrarium, imò potius varios musarum industria flores, sedulaque ore tuo plurima sparsit apes, & cum Marciali libro septimo.

Tepia Cecropiæ commitatur turba Mineruæ.
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
Ergo quid alta timet mens, nisi grande sophos.
Profer opus (spectande) tuis, quod sole sub omni.
Laudis, & inuidiæ sperat habere decus.

Sic sentio Compluti Kalendas Maias anno à Virgineo partu 1646.

Licentiatus D. *Bernardus de Yturrizarra*

EXTEMPORANEA:
REPETITIO
AD TEXTVM IN CAP.
SI EPISCOPVS III. DE SVPLENDA Negligentia Prælatorum in VI.

SORTIS intertrimento infœlici (auditores optimi) tractus hinc inde, nondum defeci, nec mente complexum cursum interrupi; oneri tamen sucumbere necesse erit si votis non respondeat euentus. Disciplinam stadij sumè perseuerantis antagonistæ sic Chrysostomus describit *homilia 1. in Epist. ad Philipens*, *Qui currit* (inquit) *si decem circuitionibus iam factis, postremã omittat, totum perdit; ita & nos si ab accepto bonorum operum cursu defecerimus totum perdidimus, totum corrupimus.* Non modo decimæ arenæ lanistam egi, non vndecimæ gladiatorem; sed decimum quintũ Complutensis agonis limen sine mercede tetigi, cætera conferam cũ pugnator alius tanta cumulare contẽdat. Vtinam reliquum videat implere hodierna luce digna supellectile ornando venustum Bonifacij VIII. oraculum quod externa sorte disputandum mihi obtigit, & radiat libro primo Sexti Decretalium voluminis titulo octauo in capite si Episcopus III. de suplenda negligentia prælatorum in Sexto cuius ennodationẽ vt scholæ nostræ mihiq; diuturno more prosequar septa, sequentia nõ trãsibo. Textus litterã in primis referã: deinde eliciam conclusionẽ quã cõprobatam multiplici argumentorum molle conabor obruere. Post modum non nullis præmissis decidendi rationem ex eorum visceribus depromam, & denique si tempus dederit dubitandi rationibus satisfaciam.

Interim ad aram accedamus.

Voce vos fausta precor, adeste, adeste, ò superi.

Cedat in memoriã maximi Ecclesiæ Principis Domini, ac semper D. mei Fr. D. Francisci Ximenez de Cisneros ProRegis Cardinalis Archiepiscopi, & quod gloriosius est huius Athenæi Vnici fundatoris

ris,& erectoris. Bonifacius VIII. Iuris cōditor, & egregius interpres in dict. cap. si Episcopus in hæc verba prorrumpit. *Si Episcopus à paganis aut schismaticis capiatur nō Archiepiscopus, sed Capitulū, ac si sedes per mortē vacant illius in spiritualibus, & temporalibus ministrare debebit donec eum libertati restitui, vel per sedem Apostolicam (cuius inter est Ecclesiarum prouidere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum quam cito comodè poterit consulendā aliud contingerit ordinari.*

1 Ex qua textus littera Conclusio quæ communi scribentiū suffragio deducitur disputanda sic se habet. *Episcopo à Paganis, vel Schismaticis capto, exercet Capitulum spiritualia, & temporalia, nisi Pontifex ab eodem Capitulo consultus aliter de administratore prouiderit.* Quæ, & si in suo casu nullum in iure nostro concordātem habeat à simili tamen confirmatur ex iuribus quæ probant Capitulū mortuo Episcopo succedere in omni iurisdictione eius. Ea sunt ex Decretalium volumine *textus in cap. cum olim. 14. de maioritate & obedientia cap. ad abolendam. 9. de hæreticis.* Ex volumine Decreti *textus in cap. in nomine. 23. dist. cap. fin 65. dist. cap. olim. 95. dist. cap.* Pont*ifices. 7. q. 1.* Ex nostro libro sext. *tex. in cap. quia sæpe 40. cap. is cui. 42. de electione, cap. Ecclesiæ fin. hoc nostro tit. de supplenda negligentia Prælatorum, cap. cum nullus 3. de temporibus ordinationum, cap. Episcopali vnico de maior. t. & obedient, cap. Pastoralis. 1. §. Si verò Episcopus de clerico ægrotante, cap. & si Capitulum 1. de institutionibus.* Confirmat etiam Tridentinum. *sess. 24. cap. 16.*

2 Disputant præter ordinarios Nicolaus Garcia *in tract. de Beneficijs 5. part. cap. 7. num. 4.* Ioan. Selua *in eodem tract. parte 2. n. 2.* Melchior Lotterius de re beneficiaria, *lib. 2. q. 2. ex num. 26. & q. 21. ex num. 37.* Petrus Rebufus *in praxi beneficiali tit. de deuo utionibus num. 63.* Flaminius Parisius *in tract. de resignatione beneficiorum lib. 7. q. 23. num. 11.* Ioan Gottierr. *lib. 1. Canonicarum q. cap. 11. num. 10.* Augustinus Barbosa *de officio & potestate Episcopi. 2. parte allegat. 36.* Pauin⁹ *in tract. de potestate* Capituli Sede vac*ate 1. parte q. 1.* Ioan Corraisius *de beneficijs 2. p. cap. 7. n. 2.* Cæsar Lambertinus de iure Patronatus *parte. 1. lib. 1. q. 2 art. 9 & lib. 2. q. 2. art. 14. nu. 6.* Didacus Sahagun *in cap. at si Cleric. §. de adulterijs ex num. 68. de iuditijs* Martin. Nauarr. *conss. 98 de tempor. ordinat num. 1. cum seqq. & conss. 7. de filijs Præsbyter.* P. Suarez *de censuris disp. 50. sectione. 5. n 6.* Vgolinus *de Censuris tab. 1. cap. 17. §. 2, num. 1.* & alij quam plurimi in discursu relectionis referendi

Cę-

3 Cæterum Achileam dubitandi rationem immeritò parui fecisse videtur Bonifacius noster in supra tradita thesi iunctis oraculi verbis vbi in vna parte asserit Episcopum captum à Paganis & Schismaticis pro mortuo haberi in alia verô quod si reuertatur libertati restituitur, quarum vtraque supponit seruum effici, suma inquam erat dubitandi ratio, siquidem eius, qui apud hostes est, status, in suspenso existit; adeô vt non videatur restitui, si reuertatur, sed perinde habeatur, ac si numquam à nostris liminibus discessisset, fictionis postliminij ministerio, de qua vulgaria sunt iura, *in §. Si ab hostibus inst. quibus modis ius patriæ potest soluitur l. illa institutio. 32. §. 2. D. de hæredibus instit. l. pen. D. de suis & legitimis, l. post liminij 5. §. 1. l. in bello 12 §. Si deportatum l. retro 16. l. hostes 24. D. de captiuis.*

4 Neq; refugiũ nobis est ad constituendum discrimen inter vtriusque Romani juris prouidentiam, quippè cum in hoc iuris articulo nõ modo personis, verùm etiam rebus Pontificium ius impertitur post liminij priuilegium, vt probat elegans *text. in cap. Abbate sanè 3. §. allegabatur de sententia, & re iudicata hoc lib. cap. prima actione 13. 16. q. 3. cap. cum per bellicam 1. 34. q. 1.* Ex quibus communiter inferri solet Pontificem Max. conseruare potestatem in rebus quæ ab hostibus detinentur, vt posit ad Ecclesias adhuc Episcopos instituere vt Troyanẽsem Aspanen. Listrien. in quo multi fuerũt D. Ioan. Solorçano *lib. 2. de Indiarum iure cap. 23. num. 1.* Perez de Lara *in compendio cap. 4. ex num 21. & 30.* ad instar testatoris qui legatum reliquit rei quæ apud hostes est in id tempus collatum quo ea recuperari contingat aut emi *l. ab omnibus 104. § etiam D. de legatis 1.* ergo nulla differentia quoad hanc speciem inter Canonicum, & Ciuile ius considerari valet.

5 Nec nouum est quod Ecclesiastici viri legum secularium priuilegijs vtantur ipsasque in adiutorium suum proponant fecit enim hoc Paulus vt refertur *actorum cap. 22. iuncto cap. si in adiutorium dist. 10.* cum Tribuno proposuit se Ciuem Romanum esse ne fustibus eum cædere iusisset contra Porciam priscam legem qua à pœna fustium Romanj Ciues erant immunes, mentio cuius apud Liuium reperitur *lib. 10.* Tullium *in oratione pro Babirio.*

6 Quę inspectio admodũ adstruitur si consideremus plus iuris tribui capitulo cuius Episcopus apud hostes est quã ei cuius Episcopus verè decesit, quandoquidem vniuersam spiritualium, & temporalium rerum administrationem Bonifacius tribuit capitulo cuius Episcopus in ditione pagani aut Schismatici existit, cum tamẽ mortuo Episcopo pleraque interdicta Capitulo sint; neque enim conferre beneficia valet

let *cap. illa* 2. *ne Sede vacante extra cap. & si capitulum* 1. *de institutionibus hoc libro*, neque licentiam transeundi ad aliam Ecclesiam dare *cap. Præsbyteri* 24. *distinct. cap. fraternitatem* 71. *distinct.* Neque auctor alienationi rerum Ecclesiæ adhiberi *cap. nouit* 1. *ne Sede vacante extra cap. siqua de rebus* 12. *q.* 2. Neque excommunicatos ab Episcopo absoluere cum hæc potestas succesori data sit *in cap. si Episcopus* 40. 11. *q.* 3. Neque generaliter ea quæ sunt Ordinis perficere *cap. Pontifices* 7. *q.* 1. adinstar capituli regularium quod non succedit in ijs quæ Abbati defuncto cõpetebant sed in successorẽ transeunt *cap. si ad solum fin. de regularibus hoc libro*, & potestatis secularis cuius successori reseruata iurisdictio est *l. mortuo* 60. *D. de iudicijs*.

7 Deinde quia in temporalibus iurisdictio nulla Episcopo cõpetebat si temporalia vocas iurisdictionem temporalem quæ secularibus data est Magistratibus *cap. solitæ* 6. *de maiorit. & obedientia cap. nouit* 3. *de iuditijs cap. duo sunt.* 96. *distinct.* Si autem ad temporalia bona verbum hoc referas libera hæc administratio in Capitulũ nõ transit immo ita coarctata vt vidimus *ex cap. nouit.* 1. *ne Sede vacante extra cap. siqua de rebus* 12. *q.* 2. perperam ergo à Bonifacio VIII. decisio nostra concepta est.

Sed licet hæc, & alia nostram videantur turbare decisionem, bene tamen perpensa nihil obstant, immo non nullis præmissis, & decidendi ratione proposita, fugata, & profligata inferius remanebunt.

Vt tamen methodus facilis mentem aptiùs aperiat Bonifacij tractatum hunc in tres principes discabo partes. In prima de potestate Capituli viuente Episcopo, & eo modo impedito quo vacationem seu priuationem non incurrat discutietur; in secunda de potestate Capituli vacante Sede; in tertia denique de alijs administratoribus prçter Capitulũ instituetur sermo. Totidẽ enim partes nostri textus quilibet agnoscet.

8 Et quidem ad primam præmitto, in initio nascentis Ecclesiæ maximam fuisse capituli, seu conuentus, aut congregationi Præsbyterorum potestatem; adeò vt viuentibus adhuc Episcopis, eorum requirerent consilium, vt refert Cardinalis Cesar Baronnius *in annal. Ecclesiast. tomo* 1. *anno Christi* 58. *n.* 10. vbi Spondanus *in Epitome de anno*

anno nu. 3. quod inde ortū habuit, quia, vt ipsi referunt, institutiones Apostolicæ plerumque sumptæ fuerunt, & dispositæ, ad similitudinem institutionum veteris testamenti, quod & Diuus Hieron. notauit *in epist.* 85. *ad Euagrium* vel vt facilius admitterent eas Iudæi, vel ob alias rationes quas late tradit Pater Roa *lib. sing. de die natali sacro, & profano cap* 1. Exempla subijciunt vt sicut in lege veteri Aaron, & filij eius, & Leuitæ sacra peragebant in templo, sic in Ecclesia Episcopi, Præsbyteri, & Diaconi; & sicut Moyses septuaginta duos selegit seniores *Numer. cap.* 12. ita Dominus septuaginta selegit discipulos post Apostolos, & Ecclesia post modum alios septuaginta quos seniores seu Præsbyteros appellauit *cap. Cleros* 21. *dist.* non ab ætate, sed ab honoribus, quia plerumque senioribus cōsueuerant dignitates conferri *l. vt gradatim* 11. *D. de muneribus, & honor. l. semper* 5. *D. de iure immunitatis* quare non in eleganter *antiquus* pro *honoratius* vsurpatur *in l. post liminium* 19. §. *filius* 7 D. *de captiuis* vbi notat Gofredus, & apud Horatium idem reperies *de arte poetica* his verbis.

Centuriæ seniorem agitant expertia fruges,
Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.

Confert *Genesis cap.* 24. pluraque adducit Ioan. Pareja *in cap.* 1. *de censibus extra num* 22.

9 Consequens inde fuit quod quem admodum apud Iudæos, etiam Apostolorum temporibus, pristina illa consuetudo vigebat, vt seniores vna cum Principibus Sacerdotum, in Concilium conuenirent, vt acta probant Apostolorum *cap.* 11. ac sententiam suam rogati dicerent Matthæi *cap.* 14 *vers.* 27 & 28. Lucæ *cap.* 20. *versu* 22. sic etiam ab Apostolis primis illis temporibus factum est vt seniores, idest Præsbyteri etiam ad Concilium admitterentur vt præfati DD. obseruant.

10 Inde etiam ortum habuit quod Episcoporum, & Præsbyterorum nomina confunderentur plerumque, & promiscuè vnum pro altero vsurparetur, vel ab hoc concursu eorum, vel quia in personis Episcoporum, simul reperiebatur ordo Sacerdotalis, & cum paucissimi essent Sacerdotes munus eorum exercebant Episcopi, quam nominum confusionem reperimus *in inscriptione Epistola* Pauli *ad Philipenses* cuius hæc verba: *Paulus, & Thimotheus serui Iesu Christi omnibus Sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis cum* Episcopis, *& Diaconibus.* Vbi Episcopum pro Præsbytero vsurpari argumento est pluralis loquutio, nō enim debent plures Episcopi in eadem ciuitate esse *cap. quoniam* 14. *de officio iudicis ordinarij extra.* Similiter reperitur promiscua hæc nominum acceptio *in cap.* 1. *epistolæ ad Titum* vbi quos Paulus in vna parte appellat Præsbyteros ibi: *Huius rei gratia reli-*

qui

qui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Præsbyteros, sicut ego dispo-sui tibi. In alia appellat Episcopos ibi: *Oportet Episcopum irrepre-hensibilem esse, & in epist. 1. ad Thimotheum* vbi præceptis datis Epis-copis transit Paulus ad Diaconos, ita vt nomine Episcoporum Præs-byteros intelligat; *& in eadem epistola cap. 4. ibi nolli negligere gra-tiam Dei quæ in te est, quæ data est tibi per impositionē manuum Præs-byteri.* Et in plerisque Sanctorum Patrum testimonijs, vt apud Am-brosium *in comentario epist. ad Ephesios cap. 4.* Chrysostomum *sup. epist. 1. ad Thimotheum cap. 3.* Theodoretum *in cap. 1. epist. ad Phi-lipenses.* Augustinum *epist. 19. ad Hieronim.* qui omnes fatentur Epis-copos appellatos esse Præsbyteros, & inter eos, & Sacerdotes ferè nihil esse discriminis.

11 Apud nostrum deinde Gratianum inuenitur huius rei testimo-nium in difficillimis iuribus, *cap. legimus 24. dist. 92. cap. olim 5. dist. 95.* Vbi refertur olim eundem fuisse Præsbyterum, & Episcopum ante oborta schismata illa, post quæ consuetudine, potius quam dispositio-ne dominica in administrandis rebus Ecclesiasticis, Episcopis Præsby-teri fuerunt subiecti, cautumque fuit, ne amplius præsbyteri in Conci-lio ad gubernationem communem Ecclesiæ admmitterentur, sicque factum est vt qui, tam in nomine, quam in alijs æquales videbantur distinguerentur. Debent enim hæc iura ita accipi, vt quod in eis dici-tur eundem fuisse Episcopum, & Presbyterū accipiatur nomine; quod autem dicitur consuetudine subiectos fuisse Præsbyteros Episcopis accipiatur, idest Apostolorum traditione; quatenus verô asserunt non Dominica dispositione hanc subiectionem contingere debeat intelli-gi, idest scripta aliqua dispositione dominica, vt DD. tradunt illicô referendi *sequenti numero.*

12 Non tamen propter hanc summam Præsbyterorum auctoritatē, & alia quæ exinde profluxerunt, existimandum est, quod Episcopi à Præsbyteris iure diuino inspecto non distinguebantur, imò firmiter tenendum est Episcopos iure diuino à Præsbyteris distingui, esseque dignitate, & potestate superiores, cōficiunt enim duo sacramenta, quæ Præsbyteri ministrare non valent, & habent Iurisdictionem Ecclesiasti-cam superiorem, qua Ecclesias sibi commissas regunt, vt diffinitum est in Tridētino Concilio *session. 23. Canone 6. & 7.* Antiocheno *cap. 10.* Ancirano *Canone 12.* & tradit Leo Papa *epist.* 88. Gregorius III. *in epist. ad Bonifacium,* & ex Dionisio, Chrisostomo, Augustino, & Patri-bus Latè probant Baronnius *vbi supra,* Belarminus *lib. 1. de Clericis cap. 14. in principio.* Azor *2. p. institut. moral. lib. 3. cap. 27* Nauarr. *in manuali cap. 22. num. 18.* Viualdus *in Candelabro, de sacramen-tis*

to, ordinis num. 1. Acuña, & ab eo relati in d. capit. legimus 24. dist 97. num. 4.

13 Vnde primo infertur reijciendam esse hæresim Aerij, Vbicleff, & aliorum qui existimarunt iure diuino Episcopum à Præsbytero in potestate, dignitate, & munere non distingui sed Ecclesiæ auctoritate Episcopis potestatem maiorem, & superiorem quam Præsbyteris esse tributam quos sequuti sunt Caluinus lib. 4. institut. cap. 4. §. 2. Kemicius in examine sessionis 23. Concilij Tridentini, & Erasmus annotatione 4. ad cap. 1. Epistolæ ad Timotheum: contra quam hæresim videndi sunt Epiphanius hæresi 75. Augustinus lib. de hæresibus cap. 53. Vualdensis lib. 2. doctrinæ fidei, artic. 3. cap. 60. & Belarminus vbi proxime; imo etiam cauēdum est à Michaele de Medina lib. 1. de sacrorum hominum origine & continent cap. 5. qui ausus fuit affirmare Hieronymum, Ambrosium, Chrisostomum & alios Patres superius relatos idē omnino cum Aerianis hæreticis in hac parte sensisse quia verū non calluit sensum autoritatum eorum.

14 Deinde etiam vera luce, & intellectu donantur fragmenta plerique huius potestatis seniorum, seù Capituli, quæ in iure nostro reperiuntur, & expresse tradunt, Clericorum, & subditorum caussas non posse ab Episcopo solo diffiniri, debereque consilium sui Capituli requirere cap. si quid 2. verbo præsentibus senioribus, iuncto cap. Episcopus 6. verbo; absque præsentia suorum Clericorum. 15. q. 7. cap. siquid 23. ibi præsentibus senioribus Ecclesiæ suæ. 86. distinct. cap. nouit 4. cap. quanto 5. de ijs quæ fiunt à Prælatis cap. qualiter 24. de accusationibus cap. licet Heli 31. de simonia cap. irrefragabili 13. de officio ordinarij quæ congerit glossa verbo teneatur in cap. non est 3. de consuetudine hoc libro, relicta interpretatione glossæ in d. cap. Episcopus verbo suorum 15. q. 7. Panormitani in cap. at si clerici § de adulterijs num. 16. de iuditijs extra, vbi ampliat hanc seniorum seù Clericorum potestatem etiam ad ea quæ à iure commissa sunt Episcopo. In duobus tamen casibus consueuit limitari quorum alter erat quando consuetudo soli Episcopo assistebat per text. in cap. non est 3. de consuetudine hoc lib. alter verô quando totum Capitulum delinquebat nemine ex Capitularibus excepto, vt tradit Seraphinus diciss. 105. num. 1. alia plura retulit Panorm. in cap. cæterum num. 5 de iuditijs, & in cap. cum contingat num. 4. & 9 & seqq. de foro competenti extra.

15 Præterea infertur ratio, quare vna, eademque persona existimantur Episcopus, & Capitulum, ita vt moram Episcopi vitare possit Capitulum, & è contra Episcopus Capituli in cap. nulla 2. de concis-

ceſsione præbendæ extra, vbi, & ſi illud eſſet diſpoſitum quod Epiſcopus (aut Capitulum cum illi hoc competere eueniret) beneficia non conferens, intra ſemeſtre priuaretur conferendi poteſtate *cap. quia 3. eodem tit.* ne diuturna vacatio Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum beneficiorum, damna pleraque inferat quæ conſiderantur *in d. cap. nulla 2. de conceſſ. præbendæ, iuncto cap. vt circa 4. cap. quam ſit 6. cap. cupientes 16. cap. ne pro defectu 41. de electione hoc libro. cap. ſi Apoſtolica 35 de præbendis eodem cap. vnico §. ſi vero ne Sede vacante eodem, cap. poſt quam 11. 50. diſt.* quam etiam vacationem & in profanis vitare, publicum intereſſe continere creditur, *l. 1. D. de ſucceſſorio edicto* Anton. Faber *in codice lib. 6. diffin. 6. tit. 1. num. 7.* Tamen ſi Capitulum intra ſemeſtre Epiſcopo datum, vel Epiſcopus intra ſemeſtre Capituli, conferat alterius moram excuſare creditur, quia vna perſona cum Epiſcopo viuente cenſetur Capitulum. De alia verò ſpecie quā excitat gloſa *in d. cap. nulla verbo infra ſex menſes, verſic. nunquid.* conſulendus eſt Anton. Picard. *in diſput. de mora ex num. 99.*

16 Vlterius pendet ex eodem filo ratio textus *in cap. 1. §. ſi verò de clerico ægrotante hoc libro.* vbi ſi Epiſcopus demens fuerit aut ita morbo ſenio vè oppreſus, quod velle, aut nolle, exprimere non poſsit, debet Capitulum ipſi deputare coadiutorem vt in temporalibus, & ſpiritualibus ad miniſtret, interim, dum impedimentum perſiſtit, iunctis quæ tradunt Hier. Gonzalez *in 8. reg. Cancellariæ gloſſ. 5. § 9 à num. 84.* Menochius *lib. 6. præſumpt. 46. num. 3.* & alijs relatis Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap. 21. num. 71.* decedente autem Epiſcopo ceſſat coadiutoris officium, & Capitulum ſuccedit in ea poteſtate, de qua dicemus inferius, vt notauit Baldus *in lege quæſitum de tutellis*, & Philippus Francus, & Dominicus *in cap. 1. de maioritate & obedientia hoc lib.*

17 Tandēque ex dictis hucuſq; apparet manifeſte ratio ad priorē noſtri textis partem vbi Bonifacius ſtatuit Epiſcopo à Paganis aut Schiſmaticis capto, Capitulum miniſtrare ſpiritualia, & temporalia ĩnqua ſpecie pro certo ſtatuo Epiſcopum adhuc inter viuos enumerari, quod ex multiplici parte noſtri text. ſuadetur 1. enim Bonifacius ait, quod hæc Capitali adminiſtratio durat donec Epiſcopus reſtituatur libertati, quia tunc in ſua dignitate conſeruatur, ergo vacatio captiuitate non contingit, ſi ènim pro ſeruo haberetur, & poſt liminio eſſet deſtitutus vera vacatio per mortem Ciuilem contingeret, & non Capitulo, & viſitatori comendaretur Eccleſia ſed de nouo eligendo Prælato cura eſſet quia vt dici ſolet caſus mortis in lege, vel diſpoſitione alia expreſus, extenditur ad alios eandem vacationem inducentes

res, *l. Gallus 32 §. & quid si tantum D. de liberis, & postumis*, Molina *de primog. lib. 1. cap. 13. num. 94.* Mieres *de maiorat. 2. p. q. 3. n. 5. vers. sed etiam sine dubitatione*, & generaliter quod valeat argumentum de morte naturali ad ciuilem tradunt post alios Ioan. Gutierr. *lib. 2. Canon. cap. 1. num. 48.* Ceuallos *q. 63. & q. 806.* D. Ioan. del Castillo *lib. 3. controu. cap. 12. à num. 24. & 36. & in tract. de tertr. cap. 66. num. 18.* pluribus explicat Doctiss. Præfectus Prætorio Hispaniæ, D. D. Ioan. Chumacero Carrillo *selectarum disp. 10. & seqq.* Deinde quia sicut Episcopus ex necessaria causa absens, non incurrit pœnam priuationis, quæ propter absentiam imponitur, vt probant *tex. in clem 1. de foro compet. cap. 2. de arbitris extra cap. cum. de iniurijs extra*, & in eo, qui detinetur à latronibus, aut expellitur à tyranno docet Filippus Francus *hic num. 1.* ita videmus in nostro textu, à priuatione Episcopatus excussari, quod signum est, pro absenti impedito, potius quam pro seruo haberi Episcopũ, qui à paganis, & schismaticis detinetur. Vlterius, quia dum supponit *Bonifacius* VIII. quod si reuertatur Episcopus, libertati restituetur, manifeste suadet ipsum post liminij iure gaudere, vt admonuit Archidiacon. *h. c num. fin.* restitutio enim est in pristinum statum positio, ita, vt is qui restituitur, non videatur, nec per instans statũ suum mutasse, *l. 1. C. de sententiam passis* & tantum dicitur afferre, quantum abstulit ademptio, *l. quod si minor 24. § restitutio D. de minoribus l. videamus 34 §. in Faciana D. de vsuris.* Præterea, post liminium iure gentium inuentum est, *l. post liminium 19. D. de captiuis, cap. ius gentium 1. dist.* sicut, & bellorum constitutio, *§. ius autem gentium inst. de iure naturali*; & si enim moribus receptum dicatur *in d. l. post liminium 19.* tamen vel illud est, quia ius gentium moribus constat, *l. Libertinus 8 l. sororis 39. §. si quis D. de ritu nuptiarum*, vbi moribus prohibitæ dicuntur nuptiæ, quæ aliàs à iure gentium inhibentur, veluti inter ascendentes, & descendentes, & fratres, *l. iure gentium fin. D. eod. tit. l. si adulterium 38. §. quare D. ad legem Iuliam de adult. l. fin §. nouerca D. de cōditione sine causa*; vel quia ciuile ius, & mores populi Romani plures adiecerunt conditiones; ergo ad gentes omnes protrahēda est post liminij prouisio, vt patet. Et denique adstipulantur omnia iura, quæ adduximus in ratione dubitandi, *num. 3. & 4.* Consequens ergo est asserere in nostro textu de Episcopo viuo, & qui verè pro Episcopo habetur disputationē fuisse in priore eius parte, vt existimarunt Francus *num. 1.* Archidiaconus *num. fin.* Geminianus *num. 2.* & Ioan. Andræas *3. in præsenti.*

18 Quo posito optimo iure Capitulo potestas tribuitur adminis-

crandi, cui aliàs competunt pleraque alia viuente suo Episcopo de quibus actum est superius. Plura alia de potestate Capituli viuente Episcopo, tradunt sparsim DD. videlicet de potestate condendi statuta Felinus *in cap. cum omnes num.* 18. *de constit, & ibi* Panormit. *num.* 7. de potestate annectendi ordines beneficijs, quæ aliàs ordinem sacrum non exigebant, pro explicatione Tridentini *sessione* 24. *de reformatione cap.* 12. Piacius *in praxi Episcop.* 2. *p. cap.* 3 *num.* 7. Barbosa *in collect. ad concilium d. loco.* De impositione residentiæ beneficijs simplicibus Beltraminus ad Ludouisium *deciss.* 175. *num.* 5. & alia de quibus longius disceptare tempus non fuit ad eos fit remissio.

19. Secundô principaliter præmittendum est pro explicatione secundæ partis nostri text. quædam Episcopo competere iure communi & ratione ordinariæ dignitatis Episcopalis, seù vt dici solet, iure Magistratus; alia verô iure speciali, seù accidentali. In prioribus, tametsi plures existiment distinctionem debere fieri, seù potius sub diuisionem, vt quædam voluntariæ iurisdictionis, aliæ verô necessariæ appellētur, & in Capitulum non transeant nisi ea quæ illud arguant necessarium administratorem, vt contendit Lambertinus *de iure patronatus lib.* 1. *partis* 1. *q.* 2. *art.* 9. Verius tamen est, omnia, quæ sunt iurisdictionis, indistinctè in capitulum transire, sede Episcopali vacante, exceptis casibus à iure expresis propter eorum singularem aliquam rationem; quæ regula colligitur *ex cap. illa* 2. *ne sede vacante extra*, & ex nostro textu expresissime, iunctis, quę in confirmationē attulimus, sicque firmant Nicolaus Garcia cum relatis, *d. p.* 5. *cap.* 7. *num.* 4. Loterius *de re beneficiaria lib.* 2. *q.* 2. *num.* 29 *& q.* 31. *num.* 81. Quæ quidem regula duas partes continet; in quarum 1. asserit in omnibus Capitulum succedere Episcopo; in 2. verô excipit casus à iure ex ratione aliqua expressos; singula ergo, eorumquè rationes, non sine fructu perquiramus; & post modum de illis quæ speciali iure, & accidentaliter pertinet ad Episcopum discutiemus.

20. Et primô. Capitulo datum fuisse iure antiquo ius coercendi hæreticos, constat, *ex cap. ad abolendam* 9. *de Hæreticis extra*; addidi iure antiquo, quia cum cognitio huius criminis varios pro temporum varietate sortita sit iudices, dependet ex hac mutatione capituli potestas, quæ dumtaxat procedere poterit, in ijs in quibus potestatem habuit Episcopus, ideoque opere pretium est scire, quod à principio Episcopis data fuit potestas coercendi hæreticos, siuè primæuas Ecclesiæ institutiones respiciamus *Apocalipsis cap.* 2. vbi reprehenditur Episcopus, quia tollerebat idolatras, vanum cultum tribuentes Bīalam, siuè canonicas, vt in Concilio Mileuitano *cap.* 25. *Lateranensi cap.*

cap. 25. Basilienses *sessione* 15. *cap. excommunicamus el* 1. §. *adijcimus & § fin. de hæreticis extra*, quibus adnumerandus est text. *in capit.* 1. *de officio ordinarij extra*, vbi generaliter criminum omnium inquisitio, & punitio, Episcopis comissa est iunctis alijs, quæ cumulant Simancas *de catholicis institution. cap.* 25. *num.* 1. *& Rojas singulari* 44.

21 Post deinde propter Episcoporum absentias, & diuersa quibus implicabãtur negotia cæpit causa fidei iudicibus delegatis committi, plerumque Cardinalibus S. R. E. plerumque superioribus Dominicanæ familiæ, de quo tempore accipiendi sunt textus *in cap. per hoc, iuncto cap fin. de hæreticis hoc libro*, Glossa *verb. committi in Clem. nolentes de hæreticis*, & ibi Ioan. Imola *num.* 5 Siluester *in suma verbo hæresis* 2. *q.* 1. Directorium Inquisitorum 3. *p. q.* 3. Francisc. Peña *in* 3. *p. directorij scholio* 73. quorum delegatorum primus in Hispania fuit Beatus Dominicus, vt refert D. Ioan. Vela *de Delictis cap.* 14. *num.* 17. arduum quippe omni æuo existimatum fuit negotium religionis, adeô vt apud Ethnicos Iudices fuissent violatæ religionis vindices, vt tradit Simancas *de Catholicis instit. cap.* 34. *num.* 1. *& seqq.* Vnde venit declaranda resolutio nostra, & species textus *in d. cap. ad abolendam* 9. *de hæreticis*, dum Capitulo sede vacante tribuit potestatem coercendi hæreticos, vt iure nouo dicendum sit, non absolutam, & simplicem potestatem, vel vt ita loquar totalem; sed partialem ipsam cognitionem, quam attento eodem nouiori iure Episcopi retinent, videlicet, vt simul cum delegatis his iudicibus cognoscant, iuxta formam text. *in d. cap. per hoc de hæreticis hoc lib. Clem.* 1. §. 1 *eodem*, vel in casibus quinque, in quibus potest Episcopus sine his delegatis cognoscere, relatis *in d.* §. 1. & à Iulio Claro *lib.* 5. *receptarum* §. *hæresis vers. sed si quis inter*, Directorium Inquisitorum 3. *p. q* 46. Peña *in eadem* 3 *p. q.* 107. Simancas *de Catholicis instit. cap.* 25 *num.* 4. *& cap.* 34. *num.* 23 *&* 38. Rojas *sing.* 44. Qualis autem sit hodiernus status immutatus ad annum 1476. vt respectiue ad Episcopi potestatem Capitulum succedat, tradit noster Ignacius de Salcedo *in addition. ad praxim Bernardi Diaz cap.* 114 *litt. F.*

22 Huic potestati puniendi hæreticos, admodum affinis est potestas absoluendi excommunicatos, ab Episcopo, quam Capitulum exercet, vt probat text. *in cap. Episcopali vnico de maioritate, & obed. hoc libro*; & si enim olim non defuissent qui existimarent, in Capitulum non transire potestatem absoluendi excommunicatos, ab Episcopo, vt refert Glossa *verbo impertiri in d. cap. vnico.* Obtinuit tamen sententia contraria, potissimum eo argumento, quod desumitur ex *d. cap. ad abolendam* 9. *de hæreticis*, cuius attenta decisione in cõ-

sequens esset, quod is qui potest compescere hæreticos excommunicando, non haberet potestatem absoluendi, contra regulam illam, quæ suadet correlatiuas esse potestates ligandi, & absoluendi, *cap. cum inferior de maiorit. & obed. extra* cum traditis à Cardin. Thusco *tom. 1. litt. A. conclus. 40.* & ita in hac vniuersali Capituli potestate comple-cti vsum clauium tradit Ioan. Gutierr. *d. lib. 1. Canonic. cap. 11. num. 10.* & post eum Melchior Lotterius *lib. 2. de re beneficiaria q. 2. num. 37.*

23 Potest deinde Capitulum sede vacante dare licentiam ad ordines, seù litteras comendaticias vt probat text. *in cap. cum nullus 3. de tempor. ord. nat. hoc libro*, vt tradit Rebufus *in praxi beneficiali tit. de deuolution. num. 67.* quod hodie attento Concilio Tridentino *sessione 7. cap. 10. de reformatione* in eo immutatum est, vt infra annũ Capitulum præfatas litteras dimissorias dare non valeat, vnde rectè deducit Thomas Zerola *in praxi verbo capitulum*, quod translacto anno rectè negotium hoc expediendi litteras comendatitias valebit capitulum peragere plura alia tradunt quoad hanc speciem Ledesma *in suma cap. 1. tract. de sacram. ordinis cap. 8. conclus. 3.* Quaranta *in suma bullarij verbo Capitulum sede vacante vers. 14.* & relati à Barbosa *in d. cap. 10. Concilij.*

24 Præterea capitulum confirmare potest electos, vt probat text. *in cap. cum olim 14. de maioritate, & obedientia extra, extrauag. execrabilis §. cæterum de preuendis*; & litteras dimisorias exigere à Clericis alterius Episcopatus sicut Episcopus, *cap. quoad translationem de tempor. ordinat. hoc libro* Abbas *in d. cap. cum olim 14. de maioritate, & obedientia extra*, Francus *in cap. vnico eodem tit. hoc libro*; & executores testamentorum compelere ad implendum defunctorum voluntates Ioan. Andreæ *in cap. Ioan. de testam.* & statuta condere ad totam diœcesim Ioannes Andræas *in cap. 2. ne sede vacante extra*, Siluester *in suma verbo Capitulum q. 4.* & charitatiuum subsidium exigere à Clericis diœcesanis, *Glossa in cap. cupientes § ad hæc de electione hoc libro per textum in cap. cum Apostolus §. probibemus de censibus extra*, visitare etiam beneficia potest Capitulum vt tradit Lotterius *lib. 2. de re benefitiaria cap. 2. num. 41. & seqq.* & plura tradit Franciscus Pauinus *in d. tract. de potest. Capituli Sede vacante.*

25 Quæ omnia, ad eo vera sunt, vt procedant, non solum in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, verumetiam in alio quocumque inferioris quod in omnia iura succedit, ac si ipse Prælatus viueret *cap. cum in Ecclesijs de maioritate & obedientia extra* Dominicus, & DD. *in cap. vnico eodem tit. hoc libro.*

26 Quod

26 Quorum omnium ratio est, quia Episcopus, & Capitulum vnũ corpus efficiunt, *cap. nouit 4. cap. quanto 5. de ijs quæ fiunt à Prælatis, cap. nulli 2. de concessione præbendæ extra*, Glossa *in cap. irrefragabili in verbo per Capitulum de officio ordinarij* Ioan. Monachus *in cap. à collatione de appellationibus hoc libro*, Gracianus *discept. forens. cap. 111. num. 2.* sicut Cardinales dicuntur pars corporis Papæ Abbas *in d. cap. nouit*, & Gratianus, *vbi proximè num. 4.* vnde deficiente Episcopo alteri ius quæritur, *cap. fin. 95. dist.* & argumen. *text. in l. 1. C. quando non petentium partes l. fin. C. de vsufructu*, eamque rationẽ tradit Ioan. Monachus *in cap. Pastoralis vnico § si verò num. 3. ne sede vacante hoc libro*, & ad plura infert Gratianus, *d. cap. 111. per totum.*

27 Iniuncta est tamen necessitas Capitulo Sede vacante à Concilio Tridentino *sessione 24. de reformatione cap. 16.* creandi Vicarium infra octo dies, qui saltim in iure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs idoneus, de quo copiosè Nicolaus Garcia *d. 5. p. cap. 7. ex num. 6.* & plures relati ab August. & Barbos. *in d. cap. 16. Concilij num. 3.*

28 Diximus alia à iure prohibita expresse reperiri Capitulo Sede vacante, in quorum numero primum obtinet locum collatio beneficiorum, vt probat text. *in cap. & si Capitulum 1. de institution. hoc lib.* & licet DD. in assignanda ratione nimis laborant, & ea communiter inualuit, videlicet, quod collatio beneficij, quædam donatio est, *cap. cum in generali fin. de officio vicarij hoc libro cap. fin. de institutionibus extra* Anton. Faber. *in codice lib. 1. tit. 3. diffinitione 3. num. 1. & 2.* in Capitulum verò non transit potestas disponendi de rebus Ecclesiæ, & liberalitatem exercendi, tùm quia hoc inuenitur exprese prohibitum ei, *cap. sæpè 40. de electione hoc lib.* tùm etiam quia quantumuis generalis administratio Capitulo commissa sit à iure comprehendere non potest donandi potestatem, *l. cum plures 12. §. cum tutor l. Lucius 46. §. vlt. de admìnistr. tutorum* Ioan. Gutierr. *de tutelis 2. p. cap. 6. ex num. 1.*

29 Verior tamen est ratio, quia potestas conferendi beneficia non est de lege iurisdictionis Episcopalis, nec competit Episcopo iure Magistratus, quod vel ex eo patet, quia extra diœcesim existens potest beneficia conferre, *cap. post electionem de concessione præbendæ*, quod peragere non valeret, si actus esset Iurisdictionis Episcopalis collatio beneficij, *l. fin. D. de iurisdict. omn. iudicum. l. cum vnus 12. §. pen. D. de bonis auctoritate iudicis posidendis*; & etiam quia plurimi reperiuntur Episcopi qui ius conferendi non habent veluti Cardinales S. R. E, qui cum Episcopi sint, *cap. his quæ de maiorit, & obedient,*

dient. extra tamen quia speciali concessione gaudent hoc iure conferendi beneficia, priuantur eo, si abscedant à Curia Romana *per reg. 7. Chancellariæ* docet eleganter, & latè Lotterius, *d. lib. 2. de re benefi. ciaria q. 2. ex num. 4. vsque ad 51.* Vnde amplectenda est ea ratio huius prohibitionis, quæ firmata est in regula superiori, videlicet quod ea quæ Episcopo pertinent speciali aliquo iure, & non iure Magistratus ad Capitulum non transmituntur, quam ratione sequutus est nouissime Lotterius, *vbi proximè.*

30 Aliud iuris est in institutione necessaria, ad præsentationem quam celebrare potest Capitulum, *d. cap. & si Capitulum 1. de institu. hoc libro* Sebastian. Medices *in tract. de fortuitis casibus p. 1. q. 6. num. 17.* Decius *Cons. 124. num. 4.* Abbas *in cap. quod in dubijs de renunciatione*, Rochus de Curte *in rubrica de iure patronatus quæst. 7.* præter relatos à Barbosa, *in d. cap. 1. num. 3.* Ratio est, quia Patronis hoc ius datum est, vt possint præsentare Præsbyteros, ad Ecclesias, in quibus ius patronatus adquisierunt, dotatione constructione, vel alio pio opere, in Concilio Toletano *9. cap. 2.* quod refertur, *in cap. decernimus 16. q. 7.* cuius verbum illud *decernimus*, argumentum est hoc in illo canone primùm fuisse statutum, notantque Duarenus *de Sacris Ecclesiæ ministerijs lib. 5. cap. 4.* & patet ex originali relato à Garcia de Loaysa *in collectione Conciliorum Hispaniæ d. cap. 2. Concilij Toletani*, quidquid controuertat Suarez *tomo 1. de statu religioso lib. 4. de simonia cap. 28. num. 2.* quæ potestas Patronis sæcularibus datas adeo viribus subsistit, quod necessario debeat Prælatus Ecclesiasticus instituere, & confirmare præsentatum à Patrono laico, si ille idoneus sit; nec consueuit Sedes Apostolica derogare huic præeminentiæ, vt sic inuitarentur laici, ad opera pia exercenda, vt tradunt Couarr. *in pract. cap. 36. à num. 2.* Quintilianus Mandosius *de signat. gratiæ tit. de derogatione iuris patronatus*, Renatus Coppinus *de sacra politia lib. 1. tit. 4.* Anton. Faber. *in suo codice lib. 6. tit. 1. diffinitione 6. num. 2.*

31 Vnde Capitulum in instituendo præsentatum à Patrono, non videtur donationem, aut liberalitatem exercere, sed necessariam collationem celebrare, in generali autem prohibitione alienandi, seù liberalitatem exercendi, non continetur alienatio necessaria. *l. alienationes 23. D. familiæ hirc. scundæ l. de pupillo 5. §. præterea D. de noui operis nuntiat.* Ioan. Gutierrez *de tutellis 2. p. cap. 6.* D. Ioan. del Castillo *lib. 5. controuers. cap. 113. ex num. 15.* Vnde rectè apparet differentia inter collationem liberam. & eam, quæ fit ad præsentationem Patroni, quæ quidem necessaria est, & in ea nihil gratiose à con-
ip

ferente, seù (quod idem est) canonice instituente Capitulo fit, docet in simili cum alijs Nicolaus Garcia, *in d.5.p.cap.7. num.54.*

32 In hibetur etiam Capitulo Sede vacante alienatio bonorũ Ecclesiæ *cap. si quis Episcopus 8. 1. q. 2. cap. si qua de rebus 42. 12. q. 2. cap. quoniam 1. 75. distinct. cap. causamque 9. de iuditijs extra* vbi Abbas *colum fin.* ita vt si alienatio à Capitulo fiat sit in potestate Episcopi ipsam rescindere, vel admittere; est enim receptum in contractibus Ecclesiarum quę sine debita solennitate fiunt quod posint claudicare; idest, ex parte Ecclesiæ non sint obligatorij, ex parte verò alterius contrahentis cum Ecclesia obligatio nascatur *d. cap. si qua de rebus 42. in secunda parte 12. q. 2.* ad instar minorũ quorũ in eo ius singulare est quod contractus vltro citroque obligatorij sine tutore aut curatore ab ipsis celebrati claudicare possint, & sibi obligatum habeant contrahentem, ipsi verò non fiat aliquo nexu obligationis obstricti *l. Iulianus 14. §. si quis à pupillo D. de action. Empti l. si id quod 7. D. de rescindenda venditione l. pupillus 5. §. pupillus D. de auctoritate tutorum princ. inst. eodem* Ant. Faber *in iurisprud. tit. 21. princip. 1. illa 2.* Mantica *de tacitis, & ambiguis conuent. lib. 3. tit. 10. num. 8.* & pluribus alijs congestis Egomet ipse *in dicta de obseruation. cap. 8. num. 10 & fere per totum.* Ratio autem ob quam potestas hęc Capitulo non impertitur ea est quia cum bona Ecclesiarum non possint aliter alienari quam si adhibeatur solennitas iuxta textum *in cap. nulli 5. de rebus Ecclesiæ extra cap. sine exactione 52, & per totam 12 q. 2. extrauag. ambitiose de rebus Ecclesiæ*, & inter solenniar illud fit quod ad instar minoris interueniat tutoris persona *l. curatorem 5. D. de auctoritate tutorum l. in negotijs D. de regulis iuris.* Consequens est quod deficiente eius tutore Episcopo alienatio bonorum Ecclesiæ à Capitulo fieri non valeat tradit hanc rationem Panormit. *in d. cap. causamque 9. de iuditijs.*

33 Eadem ratione fit, quod Capitulum non succedit in potestatẽ tribuendi licenciam, vt promotus transeat de sua Ecclesia ad aliã *cap. Presbyteri 3. 24. dist* vbi glosa verbo *Ciuitatis*, iubat tex. *in cap. fraternitatem 5. 71. dist.* vbi hæc licentia à Pontifice postulatur, contingit enim quædam alienatio personæ, quæ vinculo spirituali coniuncta est Ecclesiæ, *cap. inter corporalia 3. de translatione Episcopi*, ita tenet glosa *in cap. cum olim 14. de maioritate, & obedientia extra*, & ab incoueniенti probatur quia alias maior cautio ad rem tuendam quam ad personam expeteretur contra text. *in l. 1. & 2. C. ne fideiussores dotiũ dentur*, & quæ tradit Alciatus *lib. 4. parergon, cap. 26.* Fachineus *lib. 8. Cōtrou. cap. 76.* Osualdus *ad Donell. lib. 15. cap. 48. lit. F.*

F.& D. Martinus Larreategui *lib. 8. selectarum cap. 13 num. 1.* Veriô rem tamen existimo contrariam resolutionem videlicet in Capitulum transire potestatem dandi licentiam ad transeundum de vna ad aliam Ecclesiam vt expresse probat textus *in cap. cum olim 14. de maioritat. & obed. extra,* & docet Ioan. Andreas *in cap. si Abbatem 36. de electione hoc libro.* nec inuenio alienationis fragmenta in hac specie, siquidem Prælatus, cum viuebat, sine solemnitate in alienationibus requisita, poterat ad illam peruenire, est enim certô certius, ea quæ alienationem continent celebrari à Prælato non posse sine consensu Capituli, *cap. sine exceptione 12. q. 2. cum vulgatis*, in hac verô licentia consensum Capituli non requirit, *cap. admonet 4. de renuntiatione extra*; vlterius in locum rei alienatæ alia non semper succedit, in locum verô personæ, quæ transfertur alia substituitur *Glossa 2. in d. cap. admonet.*

34 Neque refragatur textus *in d. cap. Presbyteri 3. 24. distin.* in quo potius agitur de Clerico Ecclesiæ promouendo in Abbatem eiusdem Ecclesiæ, quam de licentia transeundi; ac denique minus viget text. *in d. cap. fraternitatem*, ex quo argumentum à contrario sensu non bene deducitur, & si enim Pontifex licentiã dare valeat, non proinde dicendum est Capitulo denegari, quia id habet Pontificia gloria, vt cum omnibus concurrat, in beneficiorum prouisione, adeô vt dici soleat concedendo alicui potestatem conferendi, vel similia exercendi, non ligare sibi manum *cap. 1. de concessione præbendæ hoc libro* Lapus *allegatione 84. num. 4.* Castador *deciss. 8. num. 2. in fine de præbendis*, fusse Hieron. Gonzalez *in 8. reg. Chancellariæ §. 2. proemiali num. 8. & ex num. 1. & seqq.*

35 Restat pro Choronide huius primi membri nostræ distinctionis aduertere, quod similiter Capitulo competunt ea quæ sunt Ordinis, ad quorum expeditionem tenetur Episcopum deputare, *cap. is cui 42 de electione hoc libro cap Pontifices 7. q. 1. & vtrobique notant Doctores. Flores de Mena lib. 2. var. q. 24. num. 27.*

36 Alia sunt, quæ Episcoiure speciali; seu accidentaliter competunt, & non iure Magistratus, in quibus nullam habet potestatem Capitulum S. de vacante, vt pro regula tradunt Nicolaus Garcia *d. 5. parte de Benefficijs cap. 7. num. 38.* Melchior Lotterius *de re beneficiaria lib. 2. q. 31. ex num. 80.* Exempla sunt, veluti in causa feudi, cuius cognitio competebat Episcopo iure speciali, & ad Capitulum non transit sed expectatur successoris iuditium, *cap. verum 7. de foro compet. extra* Fredericus *consl. 30.* Innocent. *in cap. ad abolendam 9. de hæret. cis extra* Abbas *in cap. cum olim 14. de maiorit. & obedientia extra.* Vo- de

de infert Abbas idem *in cap. at si clerici num. 22. in fine de iudicijs extra*, quod casus *d. cap. verum 7.* tanquam exorbitans à iure Communi, non debet in exemplum trahi ad materiam reconuentionum in qua summam haberet difficultatem textus ille ad eum remissio fit, conducunt tradita à Ioan. de Montealegre *in praxi Ciuili lib. 1. cap. 9. n. 120.* Curtio *in repetitione cap. fin. de consuet. p. 22. num. 22.* Palacios Rubios *in cap. per vestras 2. not. §. 1. num. 27. de donatio inter* Guillelm. Benedict. *in cap. Raynutius verbo vxorem nomine Adelasiam num. 25. p. 2.*

37 In eadem causa sunt ea quæ per delegationem Episcopo competunt, quæ in Capitulum non transeunt, vt decidit Rota *decisione 6. de officio delegati in antiquis*, Nicolaus Garcia, *d. cap. 7. ex num. 3. vsque ad 51.* & ea quæ ex priuilegio illi competunt *cap fin. de priuilegijs* Ancharranus *in cap. vnico de maioritate, & de eduentia hoc libro*, qui exemplum constituit in potestate doctorandi. *Glossa in cap. rescriptum de electione extra* Hostiensis *in capit. 2. de Magistris.*

38 In conuentu demum regularium solet adhiberi distinctio, inter ea, quæ pertinent ad Abbatem, & conuentum simul, & ea quæ pertinent ad solum Abbatem, vt in prioribus succedat conuentus, in posterioribus verò non ita, *cap. si ad solum fin. de regularibus hoc libro.* Abbas *in cap. officij num. 7. de electione extra.* In quo aduertas iure communi omnia simul exercere Abbatem, & conuentum, *cap ea nosci- tur de ijs quæ fiunt à Prælatis* consuetudine tamen, vel priuilegio effici potest quod hęc ád solũ Abbatẽ deuoluãtur, glosa *verbo pertin at ind. cap. fin. de regul. hoc libro* Boerius *deciss. 260. num. 26.* licet è contra potest consuetudine effici, quod ad solum Capitulum potestas euoluatur, *cap. Vnico ne Sede vacante hoc libro cap. cum Ecclesia Vulterana de electione extra*, Panormitanus *in d. cap. officij num. 7. in fine.* Alia præter hic relata tradit Barbosa *in collect. ad d. cap. fin. de regularibus hoc libro per totam.*

39 Tertiò principaliter præmittendum est, pro explicatiore tertiæ partis nostri text. Vbi asseritur cesare potestatem Capituli sede vacante, si à Pontifice aliud prouideatur: quædam esse negotia, quæ maiora dicuntur, quorum cognitio Pontifici Max. reseruata est, nullo alio iudice de illis cognitionem suscipere valente, *cap. maiores 3. de Baptismo l. 5. tit. 5. p. 1.* Cum pluribus iuribus, quæ congerit Glossa Magistra *in cap. quod traslationem 4. verbo reseruata de officio legati*, Speculator *lib. 1. p. 1. tit. de legato §. nunc ostendendum*, qui nouem, & octuaginta casus maiores refert vbi Ioan. Andreas *in addition*- alios

20. casus recenset quorum nonnullos Hostiensis tradit *in summa eo-dem tit.* & Selua *de beneficio 3. p. q. 3.* ad quæ negotia referenda est potestas deputandi visitatorem, seu administratorem, in Episcopatu Sede vacante, vt probat noster text. *iuncto cap. is cui 42. de electione hoc libro*, vbi notat Glossa *verbo soli*. & recenset additio Speculatoris *in d. §. nunc ostendendum lit. N. la 2.*

40 Quandoque tamen hæc potestas deputandi visitatorem ad Archiepiscopum pertinet, veluti si negligentia interueniat Capituli, iuxta text. *in cap. Ecclesiæ fin. hoc nostro tit. & lib.* Ratio est, quia vt sæpius diximus Capitulum in ea succedit dumtaxat, quæ Episcopo competebant, & nequit ampliorem potestatem habere successor, quam is cui succedit, *l. nemo D. de reg. iuris* faciunt tadita *sup. num. 20.* at Episcopus iudisdictionem ita exercebat, vt si negligens in eius administratione fuisset posset Archiepiscopus illius negligentiam supplere, & causarum sibi aduocare cognitionem, *cap. cum simus 3. 9. q. 3. cap. quanto 7. cap. ad reprimendam 8. de officio ordinarij extra.* tradit alia referens Hostiensis *in summa lib. 1. tit. de officio ordinarij verbo sunt tamen distinctæ versic. deses Præsul.* Vbi inter casus in quibus potest Metropolitanus causas suffraganei aduocare refert casum in quo negligens, & deses est suffraganeus, vnde nihil mirum quod in Capitulum cum eadem causa transeat potestas *reg. is qui in ius de regulis iuris hoc libro.*

41 Eodemque fundamento potestas hæc deputandi visitatorem ad Ecclesiam Sede vacante, residet etiam penes Capitulum vt colligitur ex *d. cap. Ecclesiæ fin. hoc nostro tit. & libro*, iuncta inductione Augustini, Barbosa ibidem, *num. 3.* & resoluunt Franciscus Pauinus de potestate Capituli, *par. 1. quæst. 7.* Rebufus in praxi *part. 1. sub tit. de deuolution. num. 65.* Molina *de iustitia tomo 5. disp. 11. sub num. 17.* quidquid contrarium teneant plures alij quos refert Barbosa, *in d. cap. fin. num. 2.* quibus addo Anton. Fabrum in codice *lib. 1. diffinitio 9. num. 1.*

42 Habẽt visitatores præfati omnimodã potestatẽ, ita vt possint coercere delicta, & omnia facere, quæ Prælato licebant, de qua *in cap. Romana 1. de censibus hoc libro*, docet Abbas *in cap. dilectus num. 2. de rescriptis extra.* Vbi visitatorem generalem hunc appellat sequuntur Soccinus *in tract. de visitatione num. 28.* Pauinus *in eodem tract. 1. part. quæst. 8.* Seraphinus *decisione 475. num. 2.* Neque obstat text. *in capit. ea quæ fin. §. quod si Abbas de statu Monachorum extra*, vbi visitator consulere Episcopum tenetur, ad priuationem, nisi

his pœnam inferendam, quia multifariam reſpondet Abbas *in d. cap. dilectus num.* 5. illa tamen præcipua eſt ſolutio, quia videlicet iuriſdictio viſitatorum ibi limitata fuit. *Hucuſque arena.*

Et fugit interea fugit irreparabile tempus.